iuxta hoc quod per quendam sapientem dicitur. In omnibus operibus
tuis memorare novissima tua & in aeternum non peccabis; pensare
quippe cotidie debemus quod ex eiusdem voce nostri redemptoris audi-
mus. & quidem in hac die tua quae ad pacem tibi nunc autem abscondita
sunt ab oculis tuis. Dum enim districtus iudex sustinet & adhuc
manum non exerit in percussione, dum a retributione ultionis ultima
esse quaedam temporis securitas videtur. Debemus pensare ma-
lum quod sequitur. pensantes gemere, gementes vitare; ea que
commisimus peccata indesinenter aspicere. aspicientes flere, flentes
abstergere; nulla nos prosperitas transitoriae laetitiae dissolvat.
nec mentis nostrae oculos ea quae sunt transitoria obstruant. nec ea
nos ad ignem ducant, Si enim districte pensetur cuius sit ponde-
ris impperium exoreuertatur. agnoscitur. cum neglegentia &
futura non prospicientia dicitur. & quidem in hac die tua quae ad pa-
cem tibi. nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. nam cogi-
tandum valde est quam tam nobis erit terribilis hora nostrae resolutio-
nis. qui pavor mentis. quanta tunc omnium malorum memoria. quae
oblivio transactae felicitatis. quae formido & consideratio iudicis.
quid ergo esse nobis de praesentibus ad delectationem debet. quando & hoc
funditus finitur quod diligitur. & illud incipit ubi dolor numquam
finitur. quando cuncta simul transeuntibus non valet transire quod
imminet; tunc maligni spiritus in egrediente anima sua opera requi-
runt. tunc mala quae suaserunt replicant. ut socium ad tormenta
trahant. Sed quid hoc de perversa solummodo anima dicimus. cum ade-
lectos quoque egredientes veniant & suum in illis si praevaleant ali-
quid requirant. Vnus autem in hominibus extitit, qui ante passionem
suam libera voce dixit. Iam non multa loquor vobiscum. Venit enim
princeps mundi huius & in me non habet quicquam. quia enim hunc mor-
talem hominem vidit. Sed in nullo mundi princeps aliquid invenire